

PRECES

jussu Papæ Leonis XIII.

in omnibus orbis ecclesiis post privatæ Missæ celebrationem flexis
genibus recitandæ.

Sacerdos ter dicat cum populo:

Ave Maria, gratia plena, Dóminus tecum: benedicta tu in muliè-
ribus, et benedictus fructus ventris tui Jesus. Sancta Maria, Ma-
ter Dei, ora pro nobis peccatòribus, nunc et in hora mortis nos-
træ. Amen.

Deinde:

Salve Regina, mater misericórdiæ, vita, dulcédo, et spes nostra
salve. Ad te clamámus exsules, filii Hevæ. Ad te suspirámus
gementes et flentes in hac lacrymárum valle. Eja ergo advocáta nos-
tra, illos tuos misericòrdes óculos ad nos convérte. Et Jesum bene-
dictum fructum ventris tui, nobis post hoc exsiliu[m] osténde. O cle-
mens, ó pia, ó dulcis Virgo Maria.

✠. Ora pro nobis sancta Dei Génitrix.

✠. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

OREMUS.

Deus refúgium nostrum et virtus, pópu-
lum ad te clamántem propitius réspice;
et intercedénte gloriosa et immaculáta
Virgine Dei Genitrice María cum beáto
Josépho Ejus Sponso, ac beátis Apóstolis
tuis Petro et Paulo et ómnibus Sanctis, quas
pro conversióne peccatòrum, pro libertáte
et exaltatióne sanctæ Matris Ecclesiæ, pre-
ces effúndimus misericors et benignus exáu-
di. Per Christum Dñm. nostrum. R. Amen.

Additor invocatio: Sancte Michaél Archán-
gele, defénde nos in prælio; contra nequí-
tiam et insídias diabóli esto præsidium.—
Imperet illi Deus; súpplices deprecámur:
tuque, Princeps militiæ cœlestis, sátanam
aliósque spíritus malignos, qui ad perditión-
em animárum pervagántur in mundo, di-
vina virtúte in inférnum detrúde. R. Amen.

*Sanctíssimus Dominus noster Leo PP. XIII. omnibus preces, ut
supra, recitantibus tercentum dierum indulgentiam largitur.*